

donec veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium » (1 Cor. 4, 3).

VI. Magna superbia est proprium iudicium praeferre iudicio Praelati et Directoris, et multo major ordinationes et mandata Superiorum quasi ad iudicium subditi revocare et contra illa plus minusve murmurare, auctoritatem mandantis parum aut nullimode *in praxi* honorando. Unde in hoc *saeculo pravatum libertatum*, devoti non raro aerem quemdam nimiae independentiae iudicii et quasi liberioris examinis quodammodo respirant, magno cum verae obedientiae nocumento.

VII. Cave ergo, ne veluti depravetur iudicium, seu ne fiat minus rectum falsa pro veris admittendo, te in quasi-oraculum et depositarium rectae sententiae et accuratae appretiationis circa homines, eventus et alia constituendo. Multi enim etiam inter devotos hoc laborant defectu, et sibi persuadent quod ipsi res melius vident et intelligunt quam alii, etiam Doctores et Moderatores. Unde si obediunt, non mente et perfecte, sed potius opere tantum (et forte non semper) obediunt, fiuntque facilius iudices confratrum; et humilitatis, pro hisce circumstantiis, immemores, et dicunt et agunt tanquam Magistri et Doctores, et Protectores intelligentiae, pietatis et perfectionis coeterorum. Tales similes fiunt obstinatis et tenacibus, quamvis habitualiter videantur (et saepe sint) optima voluntatis et sanctae intentionis.

VIII. MEMENTO GENERATIM: — 1° « Nihil charius in-

tellectu; sed si depravatus fuerit in homine, quid perniciosius? » (Pet. Cell. *de panibus*, c. 14). — 2° « Lumen intelligentiae humilitas aperit, superbia abscondit » S. Greg. Magn.). — 3° Laetetur qui intelligit, patienter ferat qui non intelligit: quod non intelligit ferat, et ut intelligat differat » (S. Aug.). — 4° « Sicut per luxuriam absorbetur intellectus, et per gulam hebetatur, et per rixam offuscatur: ita per castitatem supra se elevatur, per abstinentiam acuitur, et per patientiam quietatur » (S. Antonin. p. 4, tit. 10, c. 5).

154. — **Voluntas** est *inclinatio viventis intellectivi in bonum tanquam sibi conveniens ratione apprehensum: vel potentia libera qua ex distincta boni vel mali repraesentatione, illud appetimus et hoc aversamur*. — 1° Voluntas vocatur etiam *Appetitus rationalis*. — 2° EJUS OBJECTUM est omne quod ut bonum apprehendi potest per rationem, ac proinde *differt ab appetitu sensitivo* cujus objectum est tantum bonum sensibus perceptibile et sentienti conveniens. — 3° Bonum autem voluntatis objectum, est *bonum reale vel bonum apparens*. — 4° Pugna *carnis et spiritus* nihil aliud est, quam pugna inter appetitum sensitivum et rationalem: multa enim juvunde afficiunt sensum, et ab eo ut bonum aestimantur, quae malum judicantur a ratione. — VARIA EX DOCTRINA SERAPHICI: 1° Voluntas aliquando stat pro potentia, sicque est instrumentum se ipsum movens: aliquando pro actu et motu potentiae, sicque est animi motus liber: aliquando pro ipso volito,

sic dicitur: haec est mea voluntas. — 2° Voluntas prout est vis motiva, dividitur in imperativam, consiliatricem, et affectivam. — 3° Voluntas distinguitur ab intellectu, quod iste est potentia apprehensiva, voluntas est motiva. — 4° Bonum increatum est quietans voluntatem tum in ratione objecti adaequate, tum in ratione finis: creatum vero tantum quietat semiplene. — 5° Voluntas bona reputatur pro facto, quando adest bona intentio, nec adest facultas.

155. — Voluntatis moderatio. — Omnia quae de necessitate et modo purgationis diximus, quodammodo pertinent ad voluntatem, cum neque per sensus externos, neque per internos possimus infici et peccare, nisi adsit voluntatis *consensus*: unde peccatum committitur si voluntas non resistit quomodo et quando resistere debet, sive si non conformatur divinis mandatis, nec obedit praeceptis quae omnia nostra regulant. Attamen, quia voluntas, juxta D. Thomam, est velut regina operationum nostrarum, non sufficit singulos ejus subditos moderari ac illam quodammodo in illis perficere, sed expedit ipsam specialiter et directe purificare, ut sit magis Regina quae seipsam bene regat, ut totus homo subjaceat perfectius supremae legi divinae et Deo totis viribus deserviat. — *UNDE mortificetur amor proprius et propria voluntas per abnegationem.*

I. **Amor proprius** vocatur etiam *amor sui*, estque inordinata affectio, qua homo amat se in se. Dicitur etiam *amor privatus*. — *Amor proprius saepe sumitur praecipue pro amore prout est in appe-*

titu: et propria voluntas praecipue pro amore inordinato prout est in voluntate. Debemus nos amare, sed non modo inordinato, ut facit amor proprius. De isto amore proprio, recte asseritur quod est causa malorum sine numero, et quod difficillime ab illo perfecte liberamur.

Hinc. — 1° « Ex amore isto damnabili oriuntur simulatio, calliditas, infidelitas, hypocrisis, singularitas, complacentia vana, inobedientia, rebellio, contentio, induratio, pertinacia et similia » (Dion. Carth. *de fruct. temp. deduct.* a. 11). — 2° Amor proprius causat speciali modo quamdam caecitatem. « Amor proprius et privatus oculus mentis vehementer claudit... » (Idiota). — 3° « Quisquis seipsum non Deum amat, non se amat; et quisquis Deum non seipsum amat, ipse se amat. Bene se amant, qui in se opera Dei amant » (S. Prosper.). — 4° Cave ergo ne in viis Domini tepide ambules, quia tunc faciliter te ipsum nimis invenies. « Quando refrigerat charitas ab amore Dei et proximi, convertitur ad amorem sui » (Hugo Card.). E contra, « tantum in te crescit verus amor Dei, quantum minuetur pernitiosus amor tui » (Blosius). — 5° Ama te in Deo, et propter Deum, et ad fruendum Deo, et ut placeas Deo, et abicies amorem proprium. Et in hoc sensu intelligendum illud S. Aug. (l. 14, *de Trin.* c. 14): « Qui amat homines, aut quia justus sunt, aut ut justus sint amare debet: sic et seipsum amare debet, aut quia justus est, aut ut justus sit ». — 6° Ama veritatem, et noli ejus jura parvipendere ut

tibi complaceas. « Nimis perverse seipsum amat, qui et alios vult errare, ut error suus lateat » (S. Aug. *epist.* 7, *ad Marcellin.*). — ERGO si vis in perfectionis via ambulare, debes ab inordinato amore tui recedere, non solum quoad res gravis momenti, sed etiam in omnibus aliis, utpote quia omnes te alligant ut non possis perfecte pervenire ad Dei unionem. *Ergo* solum Deum, et animae tuae salutem, et uberiorem coelestem gloriam quaere: omnibus omnia fias: non quaeras quae tua sunt....: deplora immoderationem qua te amas et falso amas: humiliationes tanquam salutaria remedia patienter tolera: sustine contrarietates: Deum ora.

II. **Voluntas propria** est quae non est communis cum Deo et hominibus, sed nostra tantum, quando quod volumus, non ad honorem Dei, non ad utilitatem fratrum, sed propter nosmetipsos facimus, non intendentes placere Deo et prodesse fratribus, sed satisfacere propriis motibus animorum. Ita S. Bern. (*serm.* 3 *Paschae*); cui concordat S. Bonav. (*sup. Reg. Frat. Min.*), dicens: « propria voluntas est illa quae omnino divino imperio non ligatur, vel superiori regulae non adhaeret ». Item Carthusian.: « Voluntas propria dicitur, quae sic est volentis, quod nec voluntati Dei, nec ordini est conformis ». Estque maximum vitae spiritualis et salutis impedimentum. Quapropter totis viribus subjicienda sub securissimo imperio et jugo obedientiae erga Deum et Superiores, Dei vices agentes apud nos. Et non tantum timenda in magnis, sed etiam in minimis; imo tanto

magis timenda in minimis, quia minus timetur etiam a viris devotis.

HINC. — 1° Facientes propriam voluntatem multiplici inficiuntur illusionem, praesertim quando praetextu devotionis contra obedientiam et obligationem agunt. Ergo timenda valde similitudo pacis qua tales fruuntur; etenim « non impugnant nos daemones quando voluntates nostras facimus: quia voluntates nostrae daemones factae sunt » (In Vit. Patr. l. 5, *libell.* 50). — 2° Fructus propriae voluntatis etiam in minimis est prius apparenter dulcis animae, sed postea illam torquet. « Saepe poenitet in fine quod male acquiritur et extorquetur propria voluntate » (Kempis, *serm.* 2 *ad Nov.*). — 3° « Maximum impedimentum ad perfectionem ascendere cupientibus, est proprio incumbere sensui, propriamque velle perficere voluntatem. *Etenim* persaepe privata affectione seducitur, inconsulta deliberatione fallitur, et a regio itinere obliquatur » (S. Laur. Just.). — 4° Propria voluntas fons est et origo fallaciarum quibus anima a recta via facillime separatur, dum se credit securam. Quia « cum perstamus in voluntate nostra, tunc fortior est diabolus, tunc magis nocet, tunc amplius operatur: tunc sub praetextu boni nobis magis insidiamur, nec novimus quomodo ipsi pereamus » (S. Doroth. *doct.* 5). E contra, « ille magnum acquirit meritum, qui propriae valedicit opinioni, ut non suae, sed alienae sit obtemperans voluntati » (S. Franc. Assis. *opusc. serm.* 5). — 5° Et quia malitiose saepe quasi abscondit se haec propria voluntas, sollicitate

invigilanda sunt ejus abscondita, et si inveniatur, statim ejienda: « rogo et obsecro vos, Fratres, fugite angulos propriae voluntatis » (S. Bern. *serm.* 1, *de 7 pan.*). — 6° Magnum lucrum faciemus per propriae voluntatis sacrificium, magnaue ad virtutem adjumenta habebimus. Ergo « emenda sunt tria mentis aromata: affectus compassionis, rectitudinis zelus, et spiritus discretionis, nummo propriae voluntatis » (id. *serm.* 2 *Paschae*). — CONCLUDENDUM: O vir perfectionis studiose, « tolle te, tolle, inquam, te a te; impedis te: si tu te aedificas, ruinam aedificas » (S. Aug. *de verb. Apost. serm.* 15). Etenim, « crudelis plane et omnino execranda bestia, fera pessima, rapacissima lupa, et leona saevissima, voluntas propria, » ait S. Bern., qui alibi addit: « Cesset voluntas propria et infernus non erit ». — « Cesset voluntas propria et ecce infernus clauditur » (S. Aug. *serm.* 31, *ad fr. in erem.*). Resolve ergo, examima, deplora errata, spera, ora.

III. *Abnegatio perficitur ex purgatione amoris et ipsius voluntatis, sive ex amoris proprii et propriae voluntatis renuntiatione.* Ex hucusque dictis plane deducitur quam *necessaria nobis sit abnegatio.* Haec debet esse quotidiana crux qua, tanquam baculo saluberrimo sustineamur in via christiana et devota. Tollamus crucem nostram, tollamus quotidie, et tanto nobilitatis spiritualis, honoris et decoris instrumento, Christum sequamur, despiciendo terrena, fugiendo vana, aspernando mundanos honores, faciendo quidquid Deus vult de nobis, nullo negato

sacrificio, nullo recusato labore. Sic voluntas perfecte purgabitur et moderabitur. — MEMENTO ergo: 1° « Semetipsum abnegat, qui mutatur ad meliora, et incipit esse quod non erat, et desinit esse quod erat » (S. Greg. Magn. *hom.* 10, *sup. Ezech.*). — 2° « Totius perfectionis verissima regula haec est: esto humilis, et ubicumque teipsum inveneris, teipsum relinque » (Blosius, *de spir. inst.* c. 2). — 3° Unde « oportet te saepe agere quod non vis; et quod vis oportet relinquere » (Kempis). — 4° Ergo, audi et quotidie audi Christum tibi dicentem: « Qui vult venire post me, abneget semetipsum. Ac si dicat: Qui me desiderat, se despiciat; qui vult facere voluntatem meam, discat frangere suam » (S. Bern. *serm.* 2 *de S. Andr.*). — NOTA quod *gradus abnegationis* sunt: 1) Subjectio nostri iudicii Deo per Superiorem; 2) Abnegatio propriae voluntatis etiam in operibus bonis supererogationis ut in jejuniis et mortificationibus, licentiam animae Moderatoris postulando....; 3) Indifferentia in voluntate, nihil volendo, nihil appetendo nisi divinam voluntatem. Deus autem vult ut indefesse adlaboremus ad salutem et perfectionem obtinendam.

REQUIES ANIMAE.

Mariam cogita. — Tale certe officium est stellae nostrae Mariae, quae navigantes per mare mundi in navi innocentiae, vel poenitentiae, dirigit ad litus caelestis patriae (S. Bonav. *spec. lect.* 3).

Mariam invoca. — Salvum me fac, Mater pulchrae dilectionis, fons elementiae, et dulcor pietatis. Gyrum terrae sola circuis, ut subvenias invocantibus te (S. Bonav. *ps.* 9).

Mariam laetifica. — Orando pro omnibus apostolicis viris, ut B. Virgo sit eorum Consolatrix, Roboratrix, Protectrix et Auxiliatrix: studium perfectionis promovendo. — *Ut sim servus Filii, servitatem appeto Genitricis* (S. Ildef.).

CAP. VIII.
DE ORATIONE.

155. — **Praenotandum.** — Multa nos oportet operari ad animae purgationem obtinendam: multiplex est spiritualis pugna, qua internos externosque perfectionis et salutis hostes devincere debemus. Sed heu! quid sumus nos? quid fuimus? quid fecimus? quid possumus? accedendum ergo nobis est ad eum qui potest et vult confortare nos, qui expectat pulsantes ut tribuat illis tot panes, tot necessaria quot indigent. Eamus ergo frequenter ad palatium Regis nostri, pulsemus, postulemus et firmiter speremus. Ergo « magnum negotium habet homo tractare in curia summi Regis: anima vero in corporis carcere detenta non potest illuc ascendere, nec coram eo sua negotia procurare; ideo opus est, quod ad illam nuntium suum, id est, orationem dirigat, quae vicem ejus gerat, et ejus negotia procuret: unde Psalmista ait: Intret oratio mea in conspectu tuo: ubi Glossa Augustini dicit: Magna virtus purae orationis, quae quasi quidam nuntius intrat, et ibi negotia peragit, quo caro pervenire nequit » (Belloc. *spec. mor.* p. 10, l. 3, d. 34).